





112  
4750  
106

DE  
COMMODIS  
ELEGANTIORVM LITERARVM  
IN IVRE NATVRAE

EXEMPLO GROTTII

DISPV TAT



A T Q V E

ORATIONEM SOLEMNEM

QVA MVNVS

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE  
ET GENTIVM ORDINARIAE


CLEMENTISSIME SIBI DELATVM  
MORE MAIORVM SVSCIPIT

V. ID. NOVEMBR. CIOIO CCL HABENDAM

INDICIT

IOANNES FRID. HILLER

ASCRIPTVS ORDINI PHILOSOPHORVM  
ET SCHOL. VITEMBERG. RECTOR




VITEMBERGAE


PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS





DE  
COMMODIS  
ELEGANTIORVM LITERARVM  
IN IVRE NATVRAE  
EXEMPLO GROTH




habent artes atque scientiae, sicut impe-  
ria ac regna, fatales quosdam circui-  
tus, ut modo floreat, summo homi-  
num studio certatim cultae, modo ad  
altissimum perductae fastigium, subi-  
to recedant, et, mutabili mentis humanae transitu ad alia,  
iaceant neglectae. Quam civitatis literatae commutatio-

A 2

nem



nem pluribus possem exemplis declarare, si uellem fata  
literarum, ab origine ultima repetita, longius persequi.  
Sed oculos meos animumque in se conuertit aetas nostra,  
quae discedit a maiorum uestigiis, praeclare impressis, et  
litteris maxime, quae ad politioem pertinent humanita-  
tem, leuius constituit pretium, quam periti rerum iu-  
dices ferre possunt. Hi si spatium praeteriti temporis re-  
spiciunt, quod Scaligeros, Grotios, Salmasios, Casaubo-  
nos, Heinsios, alios, omnis eruditionis duces ac principes,  
tulit, uix sibi temperant a querelis grauibus, quae, quam-  
uis sint ingratae, necessariae tamen ac iustae uidentur.  
Latius enim serpit hoc malum, atque uniuersam rem  
publicam sacram, ciuilem, literatam, perturbat, quod  
nulla eius pars humanitatis uacare studiis potest. His  
certe intermediis temporibus abiectis, cuncta caligine  
densa fuerunt circumfusa, quae, simul eruditionis lumen  
affulsit, celeriter dissipata, religionis et doctrinae splendo-  
ri cessit. Adeo cum liberalibus disciplinis copulatur sa-  
lus publica, ut sine eis neque sacris integritas constet,  
neque ulli scientiae dignitas. Quis autem tantam illa-  
rum



rum praestantiam cogitat, quin plurimorum nostra memoria reprehendat incuriam, qua bonas artes spernunt, temeraria ducti sententia, tum demum bene cum scientiis agi, cum nullus illis locus ibi relinquatur. Opinionis tam peruerfae causas anquirenti mihi, luculenter eas aperit Boeclerus, *de fatis literariis nostri temporis*, ad Velleium, erudite neruoseque commentatus. 1) Non alienum uideatur ab instituto nostro, commemorare ἀντιτέχνησιν, quam rationem status eruditorum scite Boeclerus nominat. Ea uero posita est in mutua quadam obtreccatione, qua in diuersis doctrinae partibus occupati, contemnunt inter se et contemnuntur, inuident atque inuidentur. Sic se gerendo, diuellunt artes, et quasi discerpunt, quas arcta cognatione Deus, summus sapientiae moderator, in ipsa rerum natura, et prudentes academiarum auctores statoresque in re publica, consilio salutari, coniunxerunt. Sed praeter caeteros inuidiae conflagrant incendio Philosophi et Philologi, idque, antiquitus excitatum, nec dum restinguunt. Mitto iam Pythagoricum Secundum, cuius sententias mo-

1) p. 59.



rales Lucas Holstenius <sup>2)</sup> edidit. Hic enim est ille, qui Grammaticam, plerasque elegantiores artes, ut Wowerius de Polymathia recte praecipit, complexam, cum Socrate, tantopere odit, ut, tria capitalia sibi mala, queratur, euenisse, inopiam, uxorem saeuam, Grammaticam. Propius nos attingunt tempora familiae, Cartesio deditae, unde uiri, laude eruditionis florentissimi, contemptionem artium humaniorum, longe lateque manantem, deriuant. Audiamus Mericum Casaubonum, sine tergiuersatione hanc sententiam pronuntiantem, in literis ad Graeuium datis. <sup>3)</sup> *Litterae, scribit, meliores, si unquam, in summo nunc periculo uersamur. Prima mali labes a Philosophia Cartesiana, quae stultae iuuentuti, et nouitatis auidae, bonos libros excussit e manibus. Inde ad experimenta uentum est, in quibus nunc omnis eruditio, omnis sapientia, collocatur. Reales se uocant, specioso nomine, homines astuti, caeteros, quocunque literarum genere celebres, uerbales et nominales ad contemptum. Nec uero mitius uideretur de literis iudicare, Cartesiana emendatrix, Leibnitiana Philosophia ac*

Wol-

2) p. 79.

3) ep. 16.





Wolfiana, cuius amori intemperanti complures despicientiam artium elegantiorum fere communem, omnesque calamitates, hinc oriundas, ascribunt. Quod crimen, a uiris amplissimis saepe exprobratum mihi, a Wolfii praeceptis, ubi cum ratione conueniunt, non abhorrenti, minuere pro uirili studui. At aliquantisper haesitavi, cum nuper Philosophi legerem Ethicam, eiusque de literis elegantioribus iudicium, ibi interpositum, quadam cum cura diligentiaque ponderarem. 4) Ac primo quidem, quid literarum elegantiorum nomen uelit, explicat, eas huc referens disciplinas, quae in sermone, uel factorum etiam descriptione, uersentur, ut grammaticam, artem rhetoricam, siue oratoriam, artem poeticam, historiam. Deinde eos, qui literis elegantioribus in tradendis scientiis locum faciunt, modum proponendi oratorum et poetarum methodo philosophicae seu demonstratiuae, et illorum genus dicendi stylo philosophico praeferendo, intellectus usum peruertere, putat, atque impedire, quo minus rectum eius usum consequamur. Tandem, ne literas prorsus uideatur reiicere, *literarum elegantiorum*

4) §. 130. 131. *Ethicae methodo scientifica pertractatae T. I.*





*elegantiorum et scientiarum connubium locum habere, largitur, quando ueritates doceri debeant, qui eiusdem conuinci nequeant, tumque illarum in his usum regere rectum intellectus usum.* Non dubito, fore complures, qui, haec in utramque cogitantes partem, Wolfium cultioris humanitatis praestantiam, credant, eleuare, ut qua emunctae naris homines careant facile in certa indubitataque ueri cognitione, ingenia uero tardiora pinguioraque deducantur ad uero similem persuasionem. Nihil tamen fecius uirum acutissimum, satis alias honorifice de literis sentientem, eamque culpam deprecantem, excuso, tota orationis contextae serie diligentius considerata. Equidem faueo, semperque fauebo, honori literarum elegantiorum, quas omni tempore cum Philosophia coniunxi, eaque permotus estimatione, de commodis earum iam iam agendum duco. Horum uero copia et magnitudo tanta est, ut iusti uoluminis impleat mensuram, ab aliis etiam fusa nauiterque enumerata. Qua propter hoc agam, quod muneris mei ratio postulat, et, quantas habeat opportunitates literarum elegantia, in Iure, quod ipsa nos natura docuit, solide discendo



scendo tradendoque, persequar. Id quo facilius sit in promptu, exemplum mihi proponam uiri post hominum memoriam clarissimi, atque in hac arte Roscii, Hugonis Grotii. Hic, prout ipse amabat literas, harum nitore ornauit Ius belli pacisque, ineunte opere suo consilii rationes sic reddens, ut omnibus monstraret uiam, literis apte compositaeque utendi. Nec uero Grotio has laudes inuidet Wolfius, quem, praefatus Iuri belli et pacis, strenue defendit ab iis, qui cumalata aliorum testimonia, atque omnis memoriae exempla, Grotio temere uitio dabant. Quo praestito officio, satis declarauit animum in literas propensum, uerbaque, asperius fortasse prolata, mollius accipienda monuit

Si iure fert omne punctum, qui dulci miscet utile, tanto minus est dubitandum, quin elegantiores literae ad pertractandas scientias, Iuris praesertim naturae, profint plurimum, quanto plus utilitatis secum ferunt et iucunditatis. Utilitatem quidem satis comprobant accuratis rerum uerborumque definitionibus informandis, et certis ueri fundamentis iaciendis, iucunditatem uero, lectissimis cun-



cta interpretationibus, quae scholia nuncupantur, illustrando. Ordinar a definitionibus, a quibus omnis institutio scientiarum, cum ratione suscepta, debet proficisci, ut, quid sit id, de quo disputetur, appareat. Quam ordinis apti regulam cum Cicerone 5) recte tenent Mathematici, horumque in Philosophia sectatores, qui uerant, ullam subobscuram interserere uocem, ab se prius non definitam. At uero iustis in definitionibus utramque facit paginam certa propriaque uerborum uis, quam in linguis eruditorum intelliges nunquam, nisi te literae iuuerint elegantiores. Est enim duplex fons proprietatis, origo uocum, et communis loquendi consuetudo. Nonne uero illa Grammaticae pars, quam dicimus etymologiam, ad radices et stirpes uocum ascendit, et, cui rei significandae quaelibet primum sit destinata, monstrat. Sed quoniam, multis uerborum primordiis amissis, et perpetua sermonis humani mutabilitate, primos reliquimus fontes, accidit, ut portenta originum non raro uel excellentissima proferant ingenia. Itaque cum notatione saepe impeditiſſima coniungendus

5) *de Offic. I. 2.*



gendus usus loquendi, in uita scholaeque frequentatus, quem pariter literae elegantiores, in oratorum, poetarum, historicorum, aliisque monumentis reconditae, millies produnt. Cuius prudentiae specimina Grotius edit praeclara, in rebus ac uocibus finiendis originationem comparans diligenter cum consuetudine loquentium. Quid multa. Definitionem modo belli, ab illo praesultam, contueamur, et res erit ipsa luce clarior. 6) *Videndum, inquit, habemus, quid bellum sit, de quo quaeritur. Cicero dixit bellum, certationem per uim. Sed usus obtinuit, ut non actio, sed status, eo nomine indicetur, ita ut sit bellum status, per uim certantium.* Laudat Wolfius hanc belli notionem, a Grotio praemunitam, neque emendat quicquam, nisi quod perspicuitatis causa, quid certatio significet, indicat, in hanc sententiam. *Status hominum, in quo unus ius suum ui persequitur aduersus alterum, bellum dicitur.* 7) Vnde uero hausit Grotius, belli scrutatus naturam. Ex literis elegantioribus, Cicerone maxime, quod Wolfius etiam loco a me commemorato obseruat. Is enim duo genera

B 2

decer-

6) *de Iure Belli et Pacis* L. 1. §. 2.7) *Iuris Nat. T. I. §. 102.*



decertandi probe distinguit, quorum alterum per disceptionem geratur, alterum per uim. 8) At in Tullii iudicio non acquiescit Grotius, sed postea nominis originem subiicit, ex interioris eruditionis recessu, neque usum uocis laxiorem hanc notionem repudiare, planum facit. Relinquitur, ut, quam salubres sint ac frugiferae ad definitiones legitimas elegantiores literae, accipias a Grotio. Eandem ingreditur uiam Wolfius ipse, acuminis subtilitatem, in uocibus peierationis, quam uocat, et periurii, quae uulgo confundantur, separandis, ubi tentat. Peierationem quidem dicit iusiurandum eius, qui se moraliter uerum loqui iuret, dum moraliter falsum loquatur. Periurium autem, uolitionem faciendi id, quod te non facturum ex animi licet tui sententia iuraris, et contra. Quod si gestis scire, quo magistro profecerit, audias ipsum hoc non dissimulantem. 9) *Quoniam Cicero de officiis diserte dicit, quod periurare sit, non falsum iurare, sed quod ex animi tui sententia iuraris, id non facere, significatum quoque alium uocabulo periurii tribuere noluimus.* Hoc ipsum discrimen uide

8) *Offic. I. u.*9) *l. c. T. III. §. 926. et in schol.*

de quam scite Grotii iudicium, literis elegantioribus limatum, dudum notarit. Auctore enim Chryssippo duo iuranti imponit officia, unum, congruant ut animo uerba, quod ἀληθορκεῖν uocetur, alterum, ut factum consentiat uerbis, quod appelletur εὐορκεῖν. Quibus disputatis, eum, qui in prius peccet, ψευδορκεῖν, qui in posterius, ἐπιορκεῖν, monet, ab eodem dici Chryssippo, satis distincte, quamuis permisceri interdum haec soleant. 10) Tanti refert, literas elegantiores consulere, quoties res et uoces descripte et electe uelis internoscere

Neque est, quod tibi persuadeas, humanitatis studia minus promptum paratumque ferre subsidium uero, evidentibus rationibus inuictisque constabiliendo. Pleni sunt argumentis haud ambiguis primi sapientiae magistri, Poetae, quos, ut est apud Horatium epistola aureola, 11) quid sit pulchrum, quid foedum, quid utile, quid calamitosum, plenius meliusque Crantore saepe dixisse et Chryssippo, negabit ille, qui, quod non uidit, aut legit, magnifice glorioseque uituperat. Plenus oratorum campus, qui tam

B 3

impu-

10) l. c. II. 13. §. 13.

11) Epistol. I. ep. 2.



impudenter non mentiuntur, quin, praesentibus uiris gra-  
uibus, doctrinas interdum bonae frugis, ratis immutabili-  
busque causis, ad liquidum perducant. Plena omnis ge-  
neris historia, Liuiano more composita, quae, sapientibus  
intextis iudiciis, quid imitandum sit, quid fugiendum, in  
illustri ponit monumento. Quid, quod eadem fundamen-  
ta ponit scientiae, ad causas percontandas nos alliciendo,  
et praecepta institutaque philosophiae per demonstratio-  
nem, cui nomen est a posteriori, ita corroborando, ut in  
commentis ingenii, nimis sese efferentis, uanis atque inuti-  
libus ne moremur, sed ipsarum rerum cognitione explo-  
rata magis magisque crescamus. Atque his factus praesi-  
diis, cum sit ad iura belli pacisque aggressus Grotius, opus,  
quod suscepit, magnam partem perfecit ingenio, elabo-  
rauit industria. Id enim praecipuae sibi curae fuisse de-  
monstrat, ut ius naturae redigeret ad ea argumentorum  
pondera, quae negare nemo, uel inuitus, posset. <sup>12)</sup> Ni-  
hilo secius ad eiusdem iuris probationem admittit testimo-  
nia, philosophorum, historicorum, poetarum, oratorum.

Labi-

12) praef. §. 39. 40. 46.





Labitur quidem in illis ad propositum referendis nonnunquam, Ciceronis secutus opinionem, omni in re consensionem omnium gentium legem naturae putandam. Plerumque tamen poenitere eum non debet apparatus sui, e Graecia Latioque collecti, atque rationis statera examinati. Plurimum uero tribuit historiae, duplici commotus utilitate, quam et eius exempla pariant, et iudicia. Instamus iam uestigiis Grotii, atque unico, sed commemorabili, loco, quam praesenti nobis ex usu sit in Iure naturae rerum gestarum noticia, simul cum reliquis literis elegantioribus, efficiamus. Quid, quaeso, dignius homine, quid laudabilius, placabilitate et clementia, quae magno animo delet obliuione iniurias, atque inimicos beneficiis studet, paullatim permulcendo tractandoque, mansuafacere. Sed ab nulla uirtute corrupta hominis deprauataque natura uehementius abhorret, ultionis dulcedine capta, sibi, non aliis, ignoscit, nec quiescit prius, quam mala malis compenset. Idem ille Cicero, qui audiendos negat omnes, qui grauius aduersariis irascendum putent, <sup>13)</sup> et Caesarem propter salutem hostibus datam laudi.

<sup>13)</sup> de Offic. I. 25.



laudibus in coelum extollit, compluribus orationum locis, se tamen sic abiicit, ut desiderium non possit sui ulciscendi lenire, illud sine uerecundia expromens, Odi hominem, et otero, utinam ulcisci possẽm. 14) Est igitur Wolfio habenda gratia, quod, in Iure Naturae, lenitatem in homines nobis infensos rationi consentaneam, ex instituto perdocuit. Inde quoque ducit magnam disciplinae suae commendationem, quae argumentum perfecit insigne, ab aliis praetermissum philosophis, qui, natura magistra et duce cognosci illud posse, desperarint. 15) Grotius sane in magnas difficultates implicatus est Christi iussu, de inimicitis amore beneficentiaque placandis, quas tollere aliter nequit, quam discrimine antiquae et nouae legis, cuius labe totum opus elegantissimum foedauit. 16) Aliis autem quos iniecerit scrupulos idem mitissimi Seruatoris effatum, quod nos iras ac simultates iubet reprimere, nihil opus est memorare, quippe cum Fabricius in dilectu

14) *ad Attic. IX. ep. 12.*      15) *praemonit. in librum German. de rebus homini agendis fugiendisq. §. 8.*      16) *de Iur. Belli et Pacis II. 20. §. 16.*



lectu argumentorum pro ueritate religionis Christianae, capite secundo et quadragesimo, hoc labore perfungatur. Itaque fecit operae pretium Wolfius, caussis ex intima ratione depromptis, quibus stimulati mansuetudinem sequamur et facilitatem. Nec noui tamen quicquam profert, quod non elegantiores literae dixerint prius, quin etiam praeterit illud, quod hanc uirtutem ad summam prouehit altitudinem. Id si credere nolis, adeas Huetii thesauros, per Graecorum Latinorumque monimenta sparsos. 17) Quibus tibi relictis, ad Dionem Cassium me confero, quo auctore, callida Imperatoris Augusti consiliorum moderatrix, Liuia, quicquid Wolfius subtiliter disputauit, pulchre copioseque marito inculcat. 18) Nam usque ad hoc tempus Augusti principatus erat continentibus insidiis ac seditionibus magnopere perturbatus. Has ut dissiparet, atrocius interficiebat omnes perduellionis reos. Tantum uero abest, ut his acerbioribus remediis periculum depellatur, ut, aucto hostium numero, ingrauescat in dies. Tandem Cn. Cornelius Cinna Magnus, hereditariis acu-

C tus

17) in quaest. Alnet. III. 18. 18) LV. p. 640. sqq.



tus odiis, ingentem consensionis globum cogit, ad Augustum imperio deturbandum. Quo feliciter deprehenso, non gaudet Imperator, sed taedio uitae a metu nunquam securae confectus, quid capiat consilii, nescit. Confugit denique in sinum Liviae, in eoque omnes curas et dolores, quibus urgetur, deponit. Dignus profecto est feminae sagacissimae sermo, ad mitigandas coniugis aerumnas artificiose compositus, qui strictim percenseatur. Suadet igitur Augusto Livia, ut seditiosis ac turbulentis ciuibus crimen condonet, hac addita causa, quod in sedandis animi perturbationibus gratia, quam saeuitia, plus possit. *Μοι γὰρ δοκεῖ πολλῶ πλεῖω Φιλανθρωπία, ἢ τινι ὀμέτητι κατορθοῦσαι.* Hoc ne dubitationem afferat marito, misericordes non ab iis solum, quibus remissa sit culpa, amari, docet, ut de gratia referenda cogitent, sed etiam reliquos homines omnes sic illos uenerari et colere, ut in posterum se ab iniuriis inferendis abstineant. contra ea minus exorabiles ac duros et eorum inuidiam conflere, qui sibi timeant, et caeteros animum attendere ad cauendum, uariosque necere dolos, quibus imminentem procellam subterfugiant.



Vtitur, quo celerius peruincat, simili, a medicis sumpto, qui ad urendum et secandum ueniant inuiti, et lenes curationes, quam periculosas, malint adhibere. Ipsas excitat beluas testes, quas, constet, blandiendo pascendoque domari, cum uel cicures bestiae male habitae efferuescant. Sed ne mollities animi magis obsit, quam proffit, insanabilis ingenii homines seiungi uult ex numero eorum, qui uitiorum ferre possint remedia. Illos, sicut membra desperata, funditus abscindendos, hos leuius obiurgandos, accipiendosque liberalius. Alias Liuiæ cohortationes, quae sequuntur, transeo, ut quae principes propius, quam priuatos, attingunt. Temperare tamen mihi non possum, quin illud adiungam, quo prudentius nihil, nihil ad hominum genus ad officium redigendum accommodatius, potest reperiri. *Φοβέσθαι μὲν, ἀναγκαιῶνά τις δύναται, Φιλεῖν δὲ, παιδῶνά οὐ φίλει. Πείθεται δὲ ἐξ ὧν ἂν αὐτός τε εὖ πάσθῃ, καὶ τοὺς ἑτέροις ἐνεργητομένους ἴδῃ.* Cogi, ut metuat, potest homo, ut amet, persuasione est opus, quae beneficiis, in ipsum aliosque collatis, roboratur. Jam haec componas uelim cum Wolfii commentationibus de iis, qui sunt a no-





bis alieniores, reconciliandis diligendisque, sic, quod caput est rei, oratione sua complexam Liuiam, ipsis cernes oculis. At eodem possumus exemplo commonefieri, proximam hanc esse uiam, et quasi compendiarium, cum iis, qui a nobis dissident uoluntate, redeundi in gratiam. Namque a Dione Cassio relatum legimus, Augustum, Liuiam dicto audientem, coniuratis omnibus impunitatem dedisse, Cornelium etiam consulem creasse, eoque animi excelsi robore sic omnium mentes obstrinxisse sibi, ut non modo nullae struerentur amplius insidiae, sed earum ne suspicio quidem moueretur. Ita res loquitur ipsa, quantum commodi doctori Iuris naturae expectandum sit ab luce ueritatis, historia, in locis etiam difficillimis. *Cassium* enim, ut cum Verulamio loquar, *recipit, et temeritati exponitur, quod exemplis et memoria rerum non fulci-*

*tur.* 19) Quapropter idem uir acerrimi iudicii, Augustini aut Ambrosii opera ad prudentiam episcopi aut Theologi tantum facere posse, negat, quantum, si ecclesiastica historia diligenter inspiciatur, et reuoluatur. Liceat hoc ad iu-

ra

19) *de augment. scient. II. 4.*

ra animis ingenerata nostris transferre, in quibus indagandis plus hauritur scientiae ex solo Dione Cassio, quam ex multis Philosophorum scriptis. Oratorem iungamus historico, ut placatae mentis excelsitas ueniat ad summum, quo potest ascendere, gradum. Quid tandem altius similitudine cum Deo, cuius studio incendit Caesarem Tullius, hostes in gratiam cum eo reducturus. Etenim animum qui uincat, iracundiam cohibeat, aduersarium extollat iacentem, eiusque dignitatem amplificet, eum non cum summis comparat uiris, sed simillimum Deo iudicat. 20) Idem Ligarii causam quo tueatur fortius, homines ad Deos nulla re propius, ostendit, accedere, quam salutem hominibus dando. 21) Videt Wolfius ipse neruos huius argumenti, quod nos ab ambitione misera reuocat ad honoris diuini illustrationem, omnibus in actionibus spectandam, ex eaque causa cogit, *hominem per ipsam essentiam atque naturam suam obligari, ad determinandum actiones liberas per motiua ab attributis diuinis desumpta.* 22) Tan-

C 3

to

20) pro Marcello c. 3.

21) c. 12.

22) Philos. pract. uniu.

P. I. §. 251.



to magis admiramur, eum praeterisse rationem hanc gra-  
uissimam, auctoritate codicis ipsius diuinitus exarati con-  
secratam, cuius concordiam cum Philosophia sua toties me-  
rito ostentat. Neque tam est coeca humana ratio, quin,  
homini, uirtutum diuinarum imitatori, perspiciat, inimicos  
adamandos, quod ipsum numen, maximis hominum iniu-  
riis quotidie atque ubique laceffitum, hos nihilo minus fo-  
uet, et cumulat meritis. Quam in sententiam haud scio, an  
quid diuinius inter gentes inueniatur, exquisita Senecae dis-  
putatione, quae, quamuis tota memoriae sit mandanda,  
haec tamen singulari quadam ratione in animos nostros  
demittit. *More optimorum parentum, qui maledictis suo-  
rum infantium arrident, non cessant dii beneficia congerere,  
de beneficiorum auctore dubitantibus, sed aequali tenore bo-  
na sua per gentes populosque distribuunt, unam potentiam  
sortiti, prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras,  
maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hiemes  
aestatesque interuentu lenioris spiritus molliunt, errorem la-  
bentium animorum placidi ac propitii ferunt.* Initemur il-  
los.





los. 23) Quis ergo me reprehendat, his in unum collectis, si literis elegantioribus magnam inesse uim statuam, ad uerum omni dubitatione rationibus firmissimis liberandum

Venio ad obseruationes, quibus scholiorum nomen imponitur. His obscura explanantur interpretando, his rebus adhuc dubiis maius robur additur, his animus, multa meditatione defatigatus, relaxatur. Ordinis enim ratio describitur, lubricis et praecipitibus omnium temporum erroribus perspectis, soluuntur aduersariorum nodi, qui magnam saepe speciem prae se ferunt, propositi momentum atque utilitas dilatatur, quibus modis doctrina quaedam sit inuenta, propagata, erroribus corrupta, emendata, ostenditur, additis exemplis, testimoniis, similibus. Quibus sublatis luminibus, genus docendi Mathematicum tenebrosum, sterile, exile, fastidiique plenum, plurimos deterret. Contra ea facilius influit in mentes hominum, condimentis hisce respersum, et quantum eas erudit, tantum mouet, et delectat. Tantam uero suauitatem comparant

23) de benefic. VII. 31.





rant viae philosophandi mathematicae literae elegantiores, quae hic dominantur, et suos ubique flores disseminant. Sensit earum copiam ubertatemque Grotius, Poetarum et oratorum sententiis, ut ipse ait, <sup>24)</sup> saepe usus, non tam ut inde adstrueret fidem, quam ut his, quae dicere uoluerit, ab ipsorum dictis aliquid ornamenti accederet. Consilium Grotii non spernendum tenuit etiam nouae Philosophiae parens Leibniti<sup>us</sup>, ab ineunte aetate humanioris eruditionis cupidissimus. Testis est, praeter alios eius libros, his refertos deliciis, Theodicaea, cuius paginae omnes uarietate elegantissimae disciplinae admirabili complentur. Consilii rationes affert ipse, <sup>25)</sup> ductas partim ab ingenio suo, partim ab lectorum captu. Fabulis enim non minus historiisque captum se ac delinitum profitetur, quam seueris doctrinae studiis, eamque propensionem in literas uaria librorum plurimorum lectione a puero aluisse, simul et aliorum ubique respexisse commoda, et, si qua amoenitate ratiocinandi subtilitatem temperarit, ideo fecisse, quod putarit fructuosius, argumentum, multis ob  
difficul-

24) *l. c. praef. §. 47.*    25) *praefat. p. 49. 61.*



difficultates scopulosas parum gratum, hac humanitatis dulcedine condire

Vtinam is, qui in Philosophiae regno successit Leibnitio, Wolfius, eius in literas elegantiores amorem pari laude imitando fuisset consecutus. Has uero de gradu gloriae deiicere, finibusque scientiarum, quibus non imprudenter receptae sunt, exterminare uidetur. Viderur uero. Neque enim sermo est ei de rebus ipsis, quae hifce literis continentur, sed de solo styli, in scientiis adhibendi, genere. Res, artibus, quae ad humanitatem pertinent, comprehensas, non amouere a scientiis Wolfium, facile credit ille, qui reminiscendo recognoscit laudes, quibus Grotium cumulat. <sup>26)</sup> *Quod in auctore uulgo perperam reprehenditur, ego probo et maximi facio, suo unumquodque pretio aestimans. Magno ingenio et acumine autor in unum uolumen congeffit, quicquid per uolumina omnis aevi dispersum, ita ut thesaurus sapientiae ac prudentiae omnis aevi in praeclaro hoc opere contineatur, qui in multos usus conuerti potest. Ergo tantum abest, ut Wolfius literas elegantiores ipsas auerferet, ut modum proponendi scientias oratorum et poetarum, et dicendi genus, ab scientiis iubeat abesse. Hoc et demonstratio sententiae propositae no-*

D

bis

<sup>26)</sup> Praefat. ad Ius Belli et Pacis, ab se rursus editum





bis in memoriam reuocat, et concepta scholii uerba idem repetunt. *Literas elegantiores minime contemno, neque improbo, si qui iis excolendis operam nauant. At ueritas nuda non indiget oratorum coloribus, et poetarum pigmentis, ut delectet.* Ita iudicanti assentientur omnes, qui uarietate rerum uarias styli formas metiuntur, et scientiis singulare genus orationis assignant, moniti Ciceronis exemplo, qui non forense modo dicendi, sed etiam quietum disputandi genus coluit, hortatus filium, ut de Philosophia libros legat, in quibus sit aequabilis et temperata dicendi ratio, non modo orationes, ui maiore copiosissime pronuntiatas. 27) Illud uero temperate scribendi artificium cui contingat, si quaeris ex Wolfio, ad literas elegantiores te dimittit ipse, quae *dicendi facultatem, omni erudito apprime necessariam, largiantur.* 28) 'Tanto magis in eo desiderabunt multi formulas cautius loquendi de literis politioribus, a quibus interdum omnem in scientiis utilitatem uidetur abiudicare, loco superiori dicens, *in tradendis scientiis locum nullum ipsis relinquo, in quibus non prosunt, sed nocent.* Atque iterum, *absit, ut in scientiis ad intellectum recte utendum auxilium expectemus a literis elegantioribus.* Quam prompte, amabo te, quam expedite, compluri-

27) de Offic. I. 1.

28) rat. praelect. c. 2. §. 3.



plurium ignauia consolabitur torporem suum, saluas esse scientias audiens, expulsis etiam literis elegantioribus, quas, ambitu earum latissimo deterriti, odio fugiunt inexpiabili. Vereor tamen, ne sero sapiant, damno suo, non amplius faciendo, quantam iacturam fecerint, edocti. Quod cum in Graecis maxime fontibus usu uenire soleat, quos multi puerilibus consentaneos crepundiis ponunt, et quisquilias nominant imperitissime, Boineburgii, uiri prudentia, auctoritate, in literas amore, liberalitate erga literatos, Leibnitium praecipue, sempiternum nomen consecuti, lamentatione et gemitu ad sanitatem eos reducere conabor. Nam praeceptorum stupore in Graecia minus uersatus, ubi accessit ad rem publicam, quid sibi desit ad personam pro dignitate sustinendam, uidet et luget. Decerpamus breuiter eius indignationem, per scriptam amico. <sup>29)</sup> *Graecarum amoenitatum, pro dolor, parum intelligens, de me cum cogito, totus exhorresco. Quantum enim ignoro, quod discere pari felicitate potuissim, nisi fructus mihi studiorum inuidisset, siue aliena, siue meapte inconsiderantia. Agnoscere tamen cogor, maiorem doctorum meorum mea culpam fuisse. Sane si Deus puerum mihi meum incolumem seruauerit, docebitur Graeca omni modo, et allaborabo, ut me doctior et*

D 2

solidior


29) ep. 20. ed. Mehlsehri p. 92. 93.



*solidior euadat.* Animum uero ad hominis non umbratilis, sed in ipsa luce aulae spectati, luctuosas aduertamus exoptulationes, et, quantum animo contendere possumus, in literas elegantiores, e Graecia profectas, incumbamus. Nihil enim nos mouere debet Wolfii comparatio, qua Geometriam contendit cum caeteris scientiis. In illa, insanire putat eum, qui literas elegantiores in subsidium uocet, et triangulum figuram profus diuinam clamet, quod imago sit Dei, natura unius, personarumque trium, et laterum aequalitate aequalem personarum dignitatem significet. Consimilis dementiae postulat omnes, qui in scientiis aliis literarum elegantiorum fructum uelint experiri. At enim ualde haereo, num aridi Mathematicorum agri, lineis obfiti figurisque, accedant ad similitudinem scientiarum reliquarum, quarum campus flores capit, et semina frugum formosissimarum. Non attingam scientias, quas uocant theoreticas, quamuis etiam hae non respuant literarum elegantiorum munditiem. Quam ornata sententiarum concinnitate harmoniam praestabilitam uestiuit Leibnitijs, ut, plenam tamen retineamus assensionem, ingenium tamen admiremur. Quid dicam de Deo, eiusque uirtutibus innumerabilibus atque infinitis, quarum maiestatem infringes, nisi respondeat flumen orationis, elegant-



elegantioribus amplificatae literis. Quod si practicas conspicor disciplinas, quae, iudice Wolfio, sint oportet effectiuae, hoc est, uoluntatem flectentes ad agendum, languescere eas penitus putarim, nisi, quod intelligentiae bonum malumque uisum est, oratoria ui dicendi, quae uoluntatem trahit, grauius inculcetur. Quam ob rem scientiarum dilectus est habendus, et suum cuique genus scribendi aptandum, ne comoedia in cothurno, nec tragoedia focco, ingrediatur. Atque ad hanc legem direxit et formauit orationem suam uindex seruatoris, a morte ad uitam reuocati, strenuus, Dittonus. Nam coecum Deistarum fracturus impetum, angustis se scholiorum, lemmatum, aliarumque huius generis lautitiarum uinculis non constringit, quod seruili Mathematicarum legum obseruantia praeripiatur occasio, argumentorum neruos intendendi, cuiusque indole conformandi, atque in mentibus hominum infigendi firmitus, quam simplici decretorum rectaque demonstratione fieri possit. Plurimum quidem, summonet, interesse inter ratiocinationem ueram certamque, atque ordinaria forma expressam. Formae, sicut manus nobis adierit Spinoza, inanem saepe speciem obiici, ad imprudentes artificiosus decipiendos. ipsum uero argumentandi pondus nequaquam debilitari, omni quamlibet or-



natu exsplendescens. Hactenus ille. 30) Eandem uiam si Wolfius inisset, in reprehensionem forte non incurrisset auctoris rerum Brandenburgicarum memoria dignarum rarissimi exempli. 31) Namque in describenda rei publicae literatae recentioris facie, de Wolfio mentionem faciens, hunc, dicit, ingeniosam Leibnitiana Philosophiae compagem sic dissoluisse, ut eam tanquam eluuiione quadam uerborum, argumentationum, consecutionum, obseruationum, obrueret. libros uero eius, quorum magnam exararit multitudinem, homines adulta aetate non instituere, sed pueris ad summum dialectices elementa, siue catechismum, praebere. Grotii contra Ius belli pacisque, literis elegantioribus quasi gemmis distinctum, quoad suus eruditioni stabit honos, ingenii laudibus, uel ab summis principibus reportatis, efflorescet, quod quo crebrius uersamus, hoc luculentiora nobis commoda impertitur

Hanc operis dotem agnoscit is, qui iam a me supra testis est citatus, Boineburgius, hanc, amici studia rectorus, nec immerito, cohonestat, paucis multa complexus. 32) *Cum primis Grotii incomparabile ac admirandae eruditionis opus de Iure Belli et Pacis, et annotata eius, adi, quaeso, inspice,*

30) *de uerit. relig. Christ. ex resurr. Christi, praef.*

p. 233.

32) p. 126. epistol. 26.

31) P. II.





*inspice, uolue, quo nullum aliud prodiit perfectius, limatius, absolutius, quod, ut antiquitatis uniuersae fiduciam superat, quod cultissimis in antiquitate par est, ita haec saecula infinitis modis post se a tergo relinquit.* Cohortationis tam seriae memor, Grotium in sinu oculisque feram, Grotii praeceptis, quoad cum ratione conspirant, ipso usu comprobatis, rerum magistro non contemnendo, instruum disciplinam meam, Grotii denique elegantiam in omni liberalis eruditionis genere habebō mihi documento, quod pro uirili imiter, insigni. Sic indulgentissimae uoluntati SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE PRINCIPIS AC DOMINI, FRIDERICI AVGVSTI, REGIS POLONIAE, ATQVE SAXONVM ELECTORIS, LONGE CLEMENTISSIMI, satisfacturum me spero quodammodo, qua profitendi Iuris Naturae et Gentium muneri me propitius praefecit. Quam clementiam munificentissimam ut aeterna pietate obsequioque subiectissimo uenerabor, ita praepotens Numen comprecor religiosissime, ut coelesti prouidentia sua PATRIS PATRIAE OPTIMI SAPIENTISSIMIQUE saluti semper consulat, ut REGINAM AVGVSTAM, MATREM PATRIAE, exoptatissimo REGIS EXCELSISSIMI solatio, in annos quam plurimos conferuet, ut REGIIS his PARENTIBVS gaudium compleat;



pleat, incremento GENERIS SAXONICI, ex fecunditate  
 matrimonii PRINCIPIS SAXONICAE IVENTVTIS  
 capiendo, totiusque Domus Regiae fortuna, nulla tempo-  
 rum calamitate interpellanda. Audiat Deus immortalis  
 haec communia omnium bonorum uota, quae hic sanctif-  
 sine nuncupata, deuotissima religione, publica suscipiam  
 oratione, more institutoque maiorum in Acroaterio maiori,  
 craftino die, habenda, breuiter simul de *Iure Naturae*  
*Athei*, quod nostra aetate tantos ciuit motus, dicitur.  
 Pluribus, VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,  
 PATRES CONSCRIPTI AMPLISSIMI, *Fautores reliqui*  
*literarum elegantiorum, suo quisque loco graduque, honoran-*  
*di, Ciues denique Lectissimi*, rogarem, ut mihi, uerba fa-  
 cturo, praesentia Vestra tam frequenti, quam honorifica,  
 animum uelitis addere, nisi subdiffidere Vestrae comitati  
 beneuolentiaeque uiderer, cuius omni tempore tot  
 mihi tamque manifesta dedistis documenta.

P. P. VI. Id. Nouembr. A. R. S.

CIOIO CCL



Wittenberg, Diss., 1750




f

Sb.

VD 18







DE  
**COMMODIS**  
**ELEGANTIORVM LITERARVM**  
**IN IVRE NATVRAE**  
EXEMPLO GROTII

12  
175  
106

DISPV TAT



ATQVE


**ORATIONEM SOLEMNEM**  
QVA MVNVS  
**PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE**  
**ET GENTIVM ORDINARIAE**

CLEMENTISSIME SIBI DELATVM  
MORE MAIORVM SVSICIPIT

V. ID. NOVEMBER. CIOIO CCL HABENDAM

INDICIT

**IOANNES FRID. HILLER**  
ASCRIP TVS ORDINI PHILOSOPHORVM  
ET SCHOL. VITEMBERG. RECTOR



VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD I  
ACADEMIAE A TYPIS

